

desperatione ad fiduciam gratiæ divinæ paulatim traduceretur, cæteraque, quæ ad corporis & animæ curam pertinent, adhiberentur. Ita enim & delinquenti consultum foret, & exemplum tamen vindictæ publicæ aliquod extaret, ne omninò tam infame crimen inultum remaneret, & causa delinquendi tolleretur. Et ita in terminis terminantibus consuluit *Petr. Heig. d. quæst. 38. num. 54. cum seqq.* quem sequitur *Ioach. Schepl in Prompt. Juris Klammeri, tit. 46. §. 1. nu. 4.* De homicidio commisso ab homine sanæ mentis, & postea Phrenetico factò, ejusq; pœnâ consulatur *Eberh. Speckh cent. 3. class. 2. quæst. 4.* In attentato tamen in Principem à furioso videtur dicendum, quod capite is propterea plectendus, ut binis exemplis declarat *Bernhard. Zierit & hîc, in fin. Vide Camer. cent. 2. med. histor. 6. 7.* Recentius exemplum refert *Petr. Matth. tom. 3. contin. histor. lib. 1. p. (mibi) 18.*

## ARTICULUS CLXXX.

*Pœna commentariensis, qui reos clàm dimittit.*

1. Commentarienses dicuntur Custodes carcerum, sive depositarii carceratarum personarum, quia iisdem, sicut depositariis, committitur custodia carceratorum, sicut depositario rerum depositarum custodia, *Cardin. Dom. Tusch. in pract. conclus. voc. custos carcerum, concl. 1120.* Item commentarienses carcerarii, ergastuli veteribus dicti secundùm *Non. Marcell. ex Lucilio*, qui in commentarium custodias referunt, & velut diarium custodiarum conficiunt, *Bernh. Zierit & hîc, verb. commentariensis, Matth. Mart. in Lexic. Philol. verb. commentariensis.* Commentarienses quales (proh dolor) hodie sint, & quales meritò esse deberent, piè & doctissimè tradit *Idoc. Damhoud. in prax. rer. crim. cap. 17. num. 3. 4.* quem videtur imitari *Haub. von Ende in disc. crim. c. 3. de carceribus, & quæstionibus, concl. 131.* Si dolo aut culpâ commentariensium incarcerati aufugiunt, pro modo culpæ in eos statuetur pœna, & ex constitutionibus eadem pœnâ, quâ is, qui aufugit, puniri debeat, afficiuntur, *l. 4. C. de custod. reor.* Quod sanè ipsum plenum acerbitatis est. Quare satis est pro delicti admissi qualitate officio Judicis eos puniri, *l. 8. & seqq. ff. de custod. reor. Haub. von Ende d. conclus. 131. & concl. 132.* tradit, qui incarcerati, carcere effracto, sine auxilio & negligentia commentariensium evaserint, puniendi. Latissimè hanc materiam tractat auriga, & Coryphæus criminalistarum, *Prosp. Farin. lib. 1. tit. 4. q. 31. incipit carcerum custos, n. 1. cum seqq. Par. de Put. in tract. de syndacatu, in voc. custos carceris, vide Act. 12. 19. & Act. 16. 28.* Nuperrimè dubitabatur: An custos carceris puniendus, si custoditus, fractis muris, & non per ostium, de carceribus aufugit? Quod non dicendum. Videatur *tom. 2. conf. crim. à Zilett. collect. conf. 22. per tot.* Confer tradita à *Steph. hîc.*

2. An commentariensium liberi ad collegia, tribus, & societates pistorum, sutorum, & aliorum opificum admittendi, vel non? Memini enim hanc quæstionem in dubium vocatam esse, & opifices prædicti commentariensium liberis ex sequentibus motivis denegarunt opificia. I. Quia futuri-